

vis rebus studebant, agrestes homines in oppidum adduxerunt, se seque munierunt. Quibus rebus cognitis, Ludovicus incitata plebis studia, omniumque plane hominum in se invidiam pertimescens, liberos & concubinam (nam uxor mortem obierat) & Ascanium Cardinalem fratrem, Federicumque Severinatem item Cardinalem Galeatii fratrem oppido eductos Comum misit. Oppidani ubi Ludovicum suis rebus diffidere ipsum intellexerunt, concilio civitatis coacto quatuor ex principibus legerunt, qui rebus omnibus praeessent. ii ad Ludovicum profecti velle se oppidum regi tradere dixerunt: ejus autem rei causam ipsum dedisse, qui liberos & familiam emiserit. Ludovicus intellecta civitatis voluntate, stipendio equitibus levis armaturae quingentis dato, postridie ejus diei una cum Galeatio genero equitibusque paulo plus ducentis discessit, cum reliqui, stipe accepta, ejus imperio se subtraxissent: arcemque artificio atque immani mole murorum omnibusque idoneis ad obsidionem sustinendam rebus, tum militum duobus millibus apprime communitam, Bernardino Curtio, uni ex suis maxime intimis, cui supra ceteros confidebat, quemque ipse a parvulo aluerat, commendavit: cum eam tradere Ascanio fratri custodiendam, qui se illi obtulerat, noluiſſet. Triultius quatrinduo post a Mediolanensibus magna hominum gratulatione in oppidum receptus est: reliqua oppida, quae supererant, ei se confestim dediderunt.

1499

Venetis Cremonae appropinquantibus, civitas legatos obviam misit, qui tempus ad deditionem peterent. quo tempore missis ad Triultium interpretibus, ubi se principes civitatis in ea regni parte, quae ad rempublicam ex foedere spectabat, esse intellexerunt, omni cum senatu & sacerdotibus atque pontifice ad portas progressi, legatos una cum ducibus accersitos sub tentoriolo sacro in oppidum introduxerunt: postulantesque ut tributis a Ludovico vel impositis novis, vel adauctis acerbissime veteribus, civitatem levarent, impetraverunt. Erat in oppido arx perquam munita, difficilisque captu, si qua alia: eam

*Cremona
Venetis deditur.*

Pe-